

Edentibus autem illis accipiens Iesus panem (*de mensa*) & (*singulari modo*) benedicens fregit & dedit discipulis & dixit: Accipite, comedite, hoc est corpus Meum. Et (*mox*) accipiens poculum, & gratias agens dedit illis, dicens: Bibite ex eo omnes. Hoc enim est sanguis Meus ille Novi Testamenti, qui pro multis effunditur (*certo*) in remissionem peccatorum.

ANTITHESIS.

Errant omnes Sacramentarii, qui à proprio nomine ita dicuntur.

ARTICULUS XVI.
DE
JUSTIFICATIONE.
APHORISMUS I.

Justificatio nostra coram DEO est actio gratiosa totius SS. ^{Justifica-} Trinitatis, quâ homini lapsô & injusto propter Christi ^{tionis de-} meritum verâ fide apprehensum peccata omnia remittuntur gratis, eidemque obedientia vel iustitia Christi, ^{finitio.} ut Mediatoris, in iustitiam propriam imputatur.

EXPLICATIO.

I. Justificatio.

1. Justificationis vocabulum accipitur hîc locô in *sensu forensi*, quatenus justificare est *justum pronunciare, declarare, prædicare, absolvere*, non prout significat *iustitiam infundere*.
2. Distinguendum inter *iustitiæ* & *justificationis* vocem usurpatam in hîc articulô & extra hunc. Priori modo perpetuò forensis significatio est attendenda; posteriori modô iustitiam inhaerentem etiam seu infusam denotat, Luc. I, 6. Rom. XVI, 18. 19.
3. Observandum hîc, quod alia sit *ratio sanctificationis*, alia *justificationis*. In eâ ad habitus infusos, unô verbô, *χαρίσματα*, respicimus; In hîc articulô se res aliter habet. Equidem hoc verum est, quod

M m m 2

justificati